



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Apparatus Doctrinae Sacrae**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Cap. 5. Pro Narratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38464

Pars I. Apparatus Formæ ad Doctrinam Sacram.

morando animum & affectum suum pro salute, utilitate, aut profectu auditorum. Vclamateria ostendendo rem ipsam de qua dicet, esse necessariam, utilem, aut praesenti tempori multum idoneam. Docilis erit auditor, si materia tractanda clare proponatur, & in sua membra vel puncta distincte dividatur, indicando, quid primo, quid secundo, quid tertio loco dicere intendat. Et hæc erit *propositio* rei dicendæ, quæ in fine exordii locari solet.

II. Desumi potest exordium, ab aliqua sententia Authoris sacri, aut etiam profani. Vel à proverbio, vel à similitudine, vel ab historia Evangelica, aut alia quæ avidè audiatur. Quandoque etiam proponitur questio, aut problema, de quo quasi varia auditorum sententia exquiratur, & cui tandem inopinata responsio deponatur.

III. Vitanda autem sunt exordia nimis communia, nimis prolixa, & nimis longè extra materiam quæfusa.

CAPUT V.

Pro Narratione.

I. Ebet narratio esse clara, brevis, & ordinata, ut nempe res eo ordine narrantur quo gestæ, aut dictæ fuerunt.

II. Concilianda est narrationi vita, v.g. interrogando quid hic factum, quid responsum putatis? quid vos hic ageritis? audite quid sequatur, &c.

III. Sic narranda est res preterita, ac si in præsenti, & coram ageretur. Ad hoc juvat uti verbis præsentis temporis: magis enim movet narratio Christi quasi ante oculos actu patientis, quam si tantum dicas talia olim passum fuisse.

IV. Cavendum ne bis, aut sepius in narrationis decursu idem repetatur.

V. Cavenda etiam crebra digressio ad alia extra rem gestam, aut longæ parentheses, quæ rei seriem interrumpunt.

VI. Affectus, et si breviter miseri possint, non debent tamen in narratione esse nimis frequentes, sed magis pro confirmatione & epilogi reservari.

CAPUT VI.

Pro Confirmatione, ejusque amplificatione, & ornato dictiōnis.

I. In Confirmatione quæruntur argumenta ad suadendum virtutem, vel disuadendum vitium, aut aliud quod sibi Orator tractandum proposuit. Argumenta haec primò summatum ex cogitanda, colligenda, & annotanda: postea fuisius deducenda, amplificanda, & exornanda.

II. Pro inventione argumentorum five discursuum, inspiciendum est Apparatus materia quem ordine Alphabetico infra tradimus. Deinde ad istius, vel alterius materiae amplificationem, & ornatum, considerari poterunt loci topicæ, five sedes argumentorum,

quibus quævis materia deduci & inculcati potest. Exempli gratiæ, si de charitate agatur (idem est de ceteris) expendi poterit locus à definitione. Quid est charitas? est unio animæ cum Deo, quanti momenti est illa unio, quam jucunda, quam utilis, quam honorabilis, ideoque omni labore comparanda. 2. Locus à partium enumeratione: Charitas alia est interna affectuum, alia externa operum; alia erga Deum, alia erga proximum propter Deum. 3. Locus à Generi: Si omnis virtus amanda est, ut justitia, temperantia, continentia, humilitas, mansuetudo, fides, spes &c. quanto magis charitas quæ est supra, & regina omnium virtutum. 4. Locus à simili: Sicut elementum non potest requiescere nisi in suo centro, ignis in celo, lapis in terra, ita anima in sola charitate & unione cum Deo requiem habet. 5. Locus à dissimili: Sicut separatio membrorum à corpore est violenta, ita animæ à charitate Dei. Locus à contrario: Si odium & aversio à Deo sumnum sit hominis malum, sic debet amor Dei sumnum esse hominis bonum. 6. Locus ab adjunctis est in quo considerantur omnes circumstantiae cum re conjunctæ, ut locus, tempus, actus & modus, & finis quo res exercetur &c. que continentur hoc verbi; *Quis, quid, ubi* &c. quem infra explicamus in exemplo dictiōnis ex Apparatus formanda. 7. Locus est à causis, in quo res comprobatur, vel improbatur à sua causa materiali, aut formalis qua constat, à finali ad quam dirigitur, ab exemplari cuiuslibet similatur. 8. Locus ab effectis, sive effectibus bonis, aut malis, qui rem faciunt amorem, aut odio dignam, uti quod charitas faciat hominem filium Dei, harredem cœli, pium, benignum, patientem, Deo & hominibus acceptum. 9. Locus à comparatione, sive à majori, minori, & paritate rationis. Ut si sponsa gaudet coniubio cum nobilissimo sponso, qui tantum est creatura; quanto magis gaudere debet anima per charitatem uniti Deo, qui est omnium creator. Et hic locus ad amplificandum latissime patet. Uti & locus ab autoritate, testimonio, & exemplis quæ infra in Apparatus ducimus.

Pro exhortatione dictiōnis, faciunt tropi, & figuræ sive verborum, sive sententiarum, per quas sermoni varietas, copia, & elegancia conciliatur. Precipuas hic recensēbimus, ut orator, non omnes simul, sed modò has, modò illas, instar condimenti dictiōni asperget, prout materiæ sue convenire judicabit. Tales tropi in verbis sunt Metaphora, Synecdoche, Meronomia, Antonomasia, Onomatopeia, Catachresis, Metalepsis. In Oratione sunt, Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole.

Ex figuris præcipuae sunt, repetitio, conversio, complexio, gradatio. Item, similiter cadens, contrapositum, commutatio.

Figuræ quæ non in vocib⁹, sed integris sententiis usum habere possunt præcipue sunt, interrogatio, responsio, subiectio, occupatio, correccio, dubitatio, profopoeia, apostrophe, hypotiposis, suffentatio, prætermisso, ironia, permisso, deprecatione, exclamatio.

Modum quo haec figuræ, aut tropi in oratione formantur, si non meminerit orator, consultum est ut ex Rhetorica eum recolat, & singulorum exempla præcipua